

D.

12

H. Litt
353-

~~Vite Creditor: Singular: 86.~~

~~101 et 102~~

2
VIRI CLARISSIMI
DN. M. JOHANNIS

BOHEMI,

Poëta Laur. Cæsar. Philologi

πολυγλωττίας, ἔς Πολυhistoris
nobilissimi,

RECTORIS hætenus apud DRES-
DENSES per annos XXXVII.

longè meritisimi,

V I T A

poëticô stylô filog., annis quidem abhinc complu-
sculis, delineata, nunc verò demùm, post

Ejus beatam ἀνάλυσιν, publici
juris facta,

à

M. TOBIA PETERMANNO, Poëtâ

Laur. Cæs. Scholæ tum Pirnensis

Rectore, sed nunc, per DEI gra-
tiam, Emeritô,

Annò SALVATORIS

Annno CIOIC LXXVII.

DRESDÆ,

Typis CHRISTOPHORI BAUMANNI.

Singulis & universis,
DISCIPLINÆ BOHEMÆÆ

in Electorali DRESDA,

Alumnis & Auditoribus,

ex illis verò præcipuè in hoc districtu Pirnensi, aut præter-
propter, vitæ superstitibus, nec sine fructu in Ecclesiâ
& Politiâ versantibus,

VIRIS

Reverendis plurimùm, Amplissimis, Clarissimis,
Consultissimis, Prudentissimis, Doctissimis,
Humanissimis,

Dominis Fautoribus atq; Amicis indulgentissimis, & non
nisi hîc, per indulgentiam, serie Alphabeticâ, nomi-
ne tenus denotatis,

Dn. Dn. Dn. Dn.

ANDREÆ Heußlern/ Diacono Dohnensi.

ANDREÆ Kraut/ P. Laur. Cæs. & Ephebèi Dresd. Colle-
gæ V.

BALTHASARI CADEMANNNO, Pastori in Berastein.

CAROLO Spalteholz/ Pastori Aulico in Waisenstein.

M. CHRISTIANO LAURENTIO, Pastori in opido Sebnitz.

M. CHRISTIANO LUCIO, ad D. Crucis in Elect. Dresdâ
Ecclesiastæ.

M. CHRISTIANO Scheuffer/ Pastori in Dietersbach.

M. CHRISTIANO Wolff/ Scholæ Pirnensis Rectori.

M. CHRISTOPHORO Horn/ Poët. Laur. Cæs. & Pastori
in Königstein.

M. GEORGIO NITNERO, Pastori in Schönfeld.

JACOBO ERNESTO Taubenest/ Sereniss. Elect. Saxonix
à Secretis.

M.

M. JOH. CHRISTOPHORO Wentger / Pastori in Rein-
hartsdorff.

JOH. FRIDERICO Schelcher / J. U. Candidato.

JOHANNI HERICHIO, Ludimoderatori Dohnensi.

M. JOHANNI Quirsfeld / Scholæ Pirnensis Collegæ III. &
Chori Musici Directori.

JOHANNI WOLFIO, ad S. Crucis in Dresdâ Electorali à
rebus sacris.

MARTINO STUBRITIO, Poët. Laur. Cæs. & apud Budis-
sineses Advocato Ordinario.

POLYCARPO Schwarz / Scholæ Pirnens. Collegæ V.

RUDOLPHO Franiz / Ludimoderatori & Poliographo in
opido Königstein.

M. SAMUELI Strauch / ad D. Annæ in illustri Dresdâ Pa-
stori.

SALUTEM!

& reverenter cuivis officia,

Exhibeo Vobis, VIRI honoratissimi, VITAM.
Vitamego, qui singulis momentis Morti sum ob-
noxius? At vitam tamen; non meam quidem, nec
Themistoclis, nec Phocionis aut Iphicratis, nec ullius
viri Herois, si vel sit ipse Orbis domitor, Alexander.
Offero Vobis VITAM Herois, tamen, qui & Ale-
xandrum, & Phocionem, & Iphicratem, & Themisto-
clem, & ceteros omnes in Orbe superavit Heroas,
VITAM scilicet vestri BOHEMI. Dico, Vestri. Sci-
tis enim, scitis probè, qualis ille fuerit heros contra
vim Satanae, Mundi, Mortisq; ipsius, imò & contra
Vos ipsos. Annon enim lucta vobis fuit cum ignoran-
tiâ,

tiâ, cum barbarie & ruditate, cum ignaviâ & in-
ertiâ? Quis verò ille VOBIS? Quis deterfit has
maculas? Post DEUM, Dux ille VOBIS prævius &
Autor ad præclara omnia, ut & jam Vos præeatis ali-
is, & quibus non? Agnoscetis beneficium, Cineribusq;
beatè demortui dabitis VITAM, uti datis, in Vo-
bismet ipsis. τὸ ζῆν, dicebat Macedo, dedi, (si dedit)
Filio: Sed τὸ εὐ ζῆν non nisi Præceptor. Promisit hoc
sibi ipse ὁ μακαρίτης in aliquot Programmatibus publi-
eis. Promissa hæc tacito quodam vultu venerabimini,
DISCIPULLI, ubicunque demùm estis, & mecum
(quam vis Discipulus non sim, sed Amicus à tot annis)
precabimini ex antiquo votò REQUIEM! Valetè,
ita & ipsi felicissimè, & meam hanc erga vos con-
fabulationem fabulam nè interpretamini. Dab.
PIRNÆ, d. XII. Martij, sive D. GREGORII, qui &
ipse fuit rei Scholasticæ addictissimus, annò SAL-
VATORIS MDCC LXXII.

Vester

quibusvis in officiis studiisque;

(jubete, queso)

nullibi non promptissimus

M. Tobias Petermann.

SI sua non omnis laus est reticenda Magistri,
 Qui doctâ Juvenes imbuit arte rudes:
 Ipsis antetulit si prisca Parentibus ætas,
 Si posuit statuas, si dedit æra frequens:
 Quô, quæso, in pretiô nobis erit ille locôve,
 Qui simul arte rudes & pietate beat?
 Lector amice, fave, nec dedignare laborem:
 Carminis, en! nostri Rector & Autor erit.
 Nempe decemq; & quinque aberant jam secula fermè,
 Ex quô per CHRISTUM tempore parta salus,
 Non me duntaxat, sed quâ patet, omnibus Orbem
 Privâratque malis, obrueratque bonis.
 JUNIUS undecies cœli processerat axe,
 Eoô quintam suppeditante die:
 Ex MÛLBERGERIâ natus Genitrice BOHEMUS
 ANNâ, MATTHÆO sed Genitore, fuit.
 Sidera si spectas, non infelicia dices,
 Senamque ambibant Jupiter atq; Venus.
 Formavit cerebrum pueri mitissimus Heros:
 Aurea lac linguæ mellaq; Diva dedit.
 Non jactabat Avos, Atavos, Atavûmq; colores:
 Sola etenim est Virtus unica Nobilitas.
 Non rarò soboles virtuti fudit avitæ,
 Majorum & jactat, dum sua facta nequit.
 Quidjuvat aëriæ descendere sedibus arcis,
 Tarpeisque ipsis montibus esse satum?
 Quidjuvat Inachias posse ostentare curules,
 Si labe infectum, si maculisque genus?
 Quid tibi *Willigidem* loquar, aut *Agathoclea* Regem?
 Hic patris ex ollis nobilis, ille rotis.

BOHEMI
Natalis &
origo.

Omne tulit punctum, cui virtus addit honores,
Seu tenui, seu sit divite sorte Parens.
Nobilis ille satis, thalamo quem gignit honesto
Integer & sceleris purus, ut ille, Pater.
Marmoribus vitiosa latet scabiesque luesque,
Aurum nec lauru digna frequenter habet.
Sancta placet Pietas,, humili sub scespite fota,
Et rectò incoctus, nec simulatus amor.
Qualis cura fuit studiumque Parentibus istis,
Quæ nec Filiolum passa latere diu.
Nam velut hunc CHRISTO dederant, sub nomine JANI,
Baptismi ablutum salvificantis aquâ:
Sic meritò pietas à primò lacte jubebat
Innutrire ipsum Relligione pia:
Credere nec tantum rectè, sed vivere justè,
Et precibus sanctis sollicitare Deum,
Publica nec subterfugere ora Sophosque docentum,
Sed totò doctas pectore amare Scholas.
Quò fini RENSBERGÆ adiit non mœnia magna,
Magna tamen, Scholicum si videatur opus.
Acri quod studio urgebant vigiliq̄ labore,
Queis data tunc Ludi cura fidelis erat.
Inde Puer facili progressus in Arte Bohemus,
Ingenii dotes prodidit ipse sui.
Terra capax non est quævis, quâ Semina credas,
Quodq̄; facit fossor, ludit inanis opus.
Non sic & teneri vis ingeniosa BOHEMI,
Hoc agro quicquid sparseris, omne capit.
Prima puellorum pleriq̄; Elementa docentur,
Quum quinta ætatis, sextave messis adest.
Et rectè legere, atque vocabula pingere rectè
Nondum sexennis Pusio noster adest.

Pri-

Prisca Mathematicen Pueros Schola discere iussit,
Paulò sepositis, quæ superesse solent,
Noster Arithmorum scita impiger imbibit ille,
Cornua quùm Phœbe vix renovata videt.
Res rari exempli, quamq; admirabere, Pubes,
Cui Natura parens non ita larga fuit.
Centupla, credibile est, tacitos voluisse Parentes
Gaudia Filioli de probitate sui.
Jamq; videbatur cathedram conscendere sacram,
Et mores populum dedocuisse rudes.
Aut pueros formare Puer, studiove fideli
Fulcire ingentes, consilioq; Duces.
Gratantur Pueri Vicini, & fausta precantur,
Omni promoveant req; fideq;, monent.
Nec mora: Mens alios subit exorare Magistros,
Spes magnas quorum sedula cura juvet.
Urbs FREIBERGA jacet vicinis nobilis oris,
Nobilis ingenio, divitiisq; potens.
Alma metalliferis quas fundit Terra fodinis,
Civesq; & Dominos ditat amica Duces.
Mittitur huc, non, ut corraderet æra, BOHEMUS,
Aut scrutaretur viscera clausa soli:
Divitiæ quærendæ aliæ, mercesque legendæ:
Merces, queis animi cistula crescit, erant,
Virtusq; & Pietas, doctrinaq; plurima rerum,
Unde salus nobis, unde paratur honos.
Sceptra Minervæi tunc non obscura tenebat
SCHELLENBERGERUS, gloria, Phœbe, tua,
Lausq; Novensilium fat decantata Sororum,
Cura Juventutis præsidiumq; piæ.
Qui tunc suscipiens tenerum amplexansq; Clientem,
Pòsteris à nostrâ, belle BOHEME, fide.

Sic

Sic ait, abripuitq; ipsum sub limina Pindi,
 Quaque luto fingit cor meliore Deus.
 Nunc docet ore loqui Grajo, nunc ore Latino,
 Libare Ebraeos suadet & ore favos.
 Mox Labyrinthæis innectere sensa figuris,
 Mox linguâ fari liberiore monet.
 Nec renuunt curam LÖSERI tecta Synergi,
 Hospitium, SCHMIDI, nec tua tecta pium.
 SCHELLENBERGERI à dextris stat proximus ille,
 Et Rectoratum, quâ potis arte, juvat.
 SCHMIDIUS at Soboli formandæ præficit istum,
 Et dulci gestat fautor alitque sinu.
 Insignes animæ, quibus est ea cura BOHEMI,
 Quas teneram ætatem nec coluisse pudet?
 Vivite, nec vitam desistite vivere vestram:
 Sit Vobis cœli, nec peritura, Salus!
 Mittite & huc iterum, si vobis tanta potestas,
 Qui curent Mentem promoveantque bonas,
 Et tandem æternum, vestigia vestra secuti,
 Mercedis capiant cœlipotentis opes.
 Sed jam tempus erat spatium excedere privis,
 Atque aurâ paulò liberiore frui.
 Cunctantem stimulant exhortanturque Magistri,
 Leucoremq; jubent sollicitare Sophos.
 Prima Lutherisequi peragebant Jubila, dignas
 Solvendo grates ritè decusq; Deo,
 Qui verbum tenebris subduxerit ANTICHRISTI
 Oppressum, Luci reddideritq; novæ.
 Leucorin hocce petit festivo tempore Matrem,
 Datq; receptric nomina, datq; manum.
 Magnifico RHODIUS spectabilis annuit oro,
 Recluditq; sui limina tota poli.

Annò 1617.
 ab it Wite-
 bergam.

Ad-

Admouet at mensis Suadae SCHALLERUS agalma,
Atque Machaonij gloria prima chori.
Singula perfundit qui nectare fercula, quale
Vix Superum Rector maximus ipse bibit.
Latatur dapibus, sibi grataturque BOHEMUS:
Latatur sociis, quos habuitque dapum,
HÜLSEMANNIADE, qui nil vulgare minatus,
Mulcet adhuc Tiliis, LIPSIA culta, tuas.
Plisnamque accendit, fratremque accendit Eliftrum,
Ut secum vasto Nomen in orbe vehant.
Nec tantum hoc; Convictor erat SCHONLEBLIUS una
Quem modo Patronum Lusata terra videt.
Inque hac praecipue BUDISSAE Civis amatae,
Qui sese hinc pulchre vivere posse, refert.
Vos Convictores, quos Gratia copulat una,
Quos amor & studium lactat & urget idem.
Qui fugitis rixas, & tristia nomina lites,
Quos circum placido Pax volat alma sinu.
Guttore qui hauritis pleno, non pocula Bacchi;
Verum Hippocrene quae sinuosa parit.
Aut potius, saliens Israelitide venam
Quae fundit, FLATUS caelitis ore, latex.
Vos ego quos dicam? Soboles vos estis JÖVÆ,
Vos medius, summus, Vos bonus omnis amat.
Fallor, an, id trutinans etiam, LAURENTIA Sais
Nullibi non Juvenis coepta probare potest?
Delicium vocat ipsa suum, pignusque, decusque,
Et si quod nomen dulcius esse potest.
Linguas ille sitit: Linguas sequiturque colitque:
Linguas per noctes expolit atque dies.
Nec modo quam jactat prisca Demosthenis aevum,
Aut parò gaudet Tullius ore loqui:

Ejus inibi
Commen-
sales.

Altiùs ire juvat, sanctosque errare per agros,
 Quò Solis sudant exorientis equi.
 Jamque per Ebræos absconditur ille recessus,
 Mox & Chaldæi consulere ora flagrat.
 Syrorum placet os, gutturque & norma loquendi:
 Arridet Genius, quem sibi format Arabs.
 Dumque his è studiis laurum sibi quærit & aurum,
 Ductu, LAURENTI, Consilioque tuo,
 Non vel philosophum Collegia cessat adire
 publica, non ædes, Theiologia, tuas.
 Fervet Aristoteles: juvat Euclidæa Mathesis,
 Quicquid & interior philosophia fovet.
 Exacuit Juvenem pietas *Baldvvinia* Sacris,
*MEISNERI*q; sui deliciosus amor.
 Nec negat hanc operam MARTINI Suada, nec HUNNI,
 Nec qui tunc præstes Relligionis erat.
 Libat in Hyblæis Apis ingeniosa viretis
 Omnia, subq; usûs digerit ista suos.
 Talis Apis noster phœbéa per arva BOHEMUS,
 Non, nisi quæ bona sunt pro-q; futura, legit.
 Viderat id, justâ quæ pendit lance labores,
 Conspicuis pindi Diva Minerva jugis.
 Ecquid, ait, Juveni nego præmia digna BOHEMO?
 Cur non Aoniâ fronde recingo caput?
 militat in nostris tantò jam tempore castris,
 pervigilans noctes, pervigilansque dies.
 Dixerat, atque, HAINECCIADÉ, mox illa, Brabevtâ,
 Innectit doctisserta *Magistra* comis.
 Consonuère Deæ, totoq; Helicone relicto,
 Gratanti scribunt mutua verba chorò.
 Accedunt Juvenes, linguas pernoscere prompti,
 Quas Orientales, quas vocitantque sacras.

*Adipiscitur
 summos in
 Facultate
 Philosophi-
 cæ honores.*

Die

Dic, age (sic orant) rerum pergnare magister,
 Quæ nobis methodus, quæve tenenda via est?
 En! ardent animi: pede Te sectabimur unò,
 Nè defis dubiæ duxq; comesq; viæ.
 Annuit egregiis præclara peritia votis,
 Annuit, at Procerum non nisi voce Sophûm.
 Exoritur plausus: succedunt omnia bellè,
 Doctorique optant optima quæque novo.
 Vos, quibus indultum est tunc auscultare docenti,
 Annon hanc operam laude beatis adhuc?
 Tu verò imprimis, qui primâ es sede locandus,
 Inter quùm pridem sis sedesque DEOS,
 WELLERE, os sanctæ genuinaque Lingua Sionis,
 Quem magnus SAXO, quem colit omnis honos,
 Pollice nonne probas præcepta utroque BOHEMI?
 Elapsa est nondum pectore docta fides.
 Felix Discipuli Præceptor nomine tanti!
 Felix solerti Discipulusque Duce!
 Nec mora longa super: succedit & altera Laurus,
 Laurus, quam Vates, Cæsar & ipse gerit.
 Suadet CARPZOVIVS, Dictator Juris & Æqui,
 Suadenti juvenis vix dat at ille locum.
 Esse suos intra vult culta Modestia fines,
 Jureq; detrectat, quod Jovis esse solet.
 Evincit meritum Mecœnatumque favores:
 Sponte Viri obnubit Laurus odora comas.
 MALSIUS hanc confert, Themidos prænobile sidus,
 Magnorum Comitum Confus, & ipse Comes.
 Ha! nova quæ Pindi sub vertice gaudia surgunt?
 Quos non proficuos volvit Apollo sonos?
 Cæsaris interpres (sic unò Leucoris ore,
 Sic canis & ripis, piscifer Albi, tuis)

Coronatur
 Lauru poë-
 ticâ,

Cæsaris interpres, præcinxit tempora Lauru
MALSILLIS: ingenium, doctè BOHEME, tibi,
Cæsareâ dignum lauru donavit Apollo:
Cæsaris & Phæbi munera perpetuent!
Perpetuent! clamat resonis sub vallibus Echo,
Ireque per totum vult data vota polum.
Percipit æthereâ, qui percipit omnia, sede,
Votaque, quæ data sunt, non, ait, aura feret.
Comprobat eventus. Nec Phœbus dona negavit,
Nec magni riguit Cæsaris ulla manus.
Patronis fuit usque suis in amore Poëta:
Viribus ingenium polluit acre suis.
Perge igitur, quod tendis iter, Pimplæa, doceq;
Quantus in hunc fuerit fervor amorq; Virum,
Inelyta Mæoniô memorat de Vate vetustas,
In dubio patrios ipsius esse Lares.
Namque suum vocitant Colophon atque Argus Alumnum,
Cuma suum scribit, Smyrna, Chiosq; suum.
Jactat idemq; Pylus, jactant Salaminq; & Athenæ.
Et quæ non urbes, Græcia prisca, tuæ?
Tantus erat tantoque suorum in amore Poëta!
Tanta artis laus & gloria, tantus honos!
At quid de nostro dicemus, quæso, BOHEMO?
Non minor & rixas pluribus ille movet.
Theiosophia sibi cupit hunc & limina pandit,
Publica quâ Christus pulpita voce juvat.
Scande meam, dicens, animaque, BOHEME, cathedram,
Cumq; Petro DOMINI pasce fidelis oves.
Cui contra Sophie: Mihi tu comitaberis Agnos,
Quos vigili cures, quos foveasque sinu.
Agnos, qui Scholicos errant hinc inde per agros,
Et pars sunt CHRISTI deliciosa gregis.

Quod

Quid facias? Nobis fuerit si invita Minerva,
Ludit conatùs, proficiturque parùm.
Ambitur calidis Coeli Clementia votis,
Hanc ut rem votis digerat ipsa suis.
Fert palmam Sophie, sed sobria, quæ simul artes
Et partes sequitur, Theiologia, tuas.
Tum verò Juvenem videas ambire tot Urbes,
Quæ tenerum cupiant vera docere gregem.
Hermundurus erat, sed *SAXO* volebat eundem,
Voce quod attestor, *Jutrebogæa*, tuâ.
Tu tibi Rectorem Moderatoremque vovebas:
Sed non sunt votis fata sat æqua tuis.
Servetur sellis majoribus ille locisque,
Nec fedet in triviis: nobiliora manent.
Gymnasii conferre decus debebat Alumnis,
Gymnasiis poscunt Terra Polusq; piis.
Jamque è *Stetino* scribit pia cura *CRAMERI*,
Gymnasium juvet ut *Leucoris* alma Ducis,
Mittatque in sedem non dedignata vacivam,
Qui socios studio, qui Juvenesque beet.
Ocyùs eligitur constanti voce *BOHEMUS*:
Nominitet quem vox una, *BOHEMUS* erat.
Jamque abiturus erat, visurus & ora *Sobrini*,
Concessum Ludi cui moderamen erat:
Quùm nova Saxoniam te litera posceret *HALLAM*,
Suasu *ROBERI*, clare *BOHEME*, tui,
Ut partes, essent quæ *Conrectoris*, obires,
Præpositus reliquis, *GVEINZIADÉ*q; minor.
Relictis igitur, quos *Pæna* enutrit & *Ina*,
Salanas gaudes exhilarare Deas.
Exhilarare, inquam. Neque enim sine munere obibas,
Munere, Patroni quod dare sæpè solent.

Addit se
studio Pbis
losophico.

At quibus? insigni qui commendantur ab arte,
Enthea quos virtus, quos Probitasque colit.
Unde nec ipsa tibi Pietas devota negavit

His mactare piis obvia facta metris:

*Quem sibi Rectorem Schola Jütrebogea volebat,
Correctoris Hale sceptrum, BOHEME, capis?*

Sic tantus potius vis esse secundus Athenis,

Quam Thebis primus, dignus utroque gradu.

Ergo quid voveam, nisi fata secunda? Labores

(Summa sit hæc voti) Jova secundet Hale.

Hæc tibi RÖBERUS, quem piscifer excipit Albi,

Vateque Buchnero farier ista jubet;

At que, docte BOHEME, abituro vota precabor,

Quæso, tibi? Assidue fac, tuus esse velis.

Quò non præclaris enisus es hætenus ausis?

Altius adscendes, si tuus esse velis.

His igitur votis Hallam dimissus ab Albi,

Spelactat Juvenes, spe meliore Senes.

Confluit ex omni Pubes memorabilis Orbe,

Nec nisi præclarâ dives ab arte redit.

Quod tot honoratas clamant celebrantque per Urbes

Nomina, perque chorum Nomina, perque Forum.

Quos inter primaria lux, OLEARIUS, Hallæ

His memorat meritum jure canitque sonis:

Quòd mihi pectus inops non est, nec mentis inane,

Quòd polit ingenium Pallas amica meum.

Quòd me nec Latium latet, aut idioma Pelasgi,

Lingua quòd in curis est mihi sacra sacris.

Non nisi post CHRISTUM, quo spiro, BOHEME, fovente,

Muneris id quantum est, munus id omne tuum est.

Hæc OLEARIUS, hæc alii longò ordine cantant,

Atque BOHEMIADÆ Nestore digna vovent.

Tan-

Tangitur in primis tantâ *Tburingia* famâ,
Et Caput id multis ambitiosa petit.
Primaq; procedens celebris *Northusa* Sororum,
Rector, ait, studiis esto, *BOHEME*, meis.
Tu Juvenum mores, tu pectora cruda refinges:
Barbaries fugiet, Te moderante, Scholam.
Delicias te dico meas, tibi præmia solvo,
Præmia quæ vitæ sunt soluenda Duci.
Dixerat; *Islebie* cui mox respondet: At ille
Qui doceat Juvenes, ille *BOHEMUS* erit.
Sum genitrix magni non inficianda *Lutheri*,
Non ero dedecori, non erit ille mihi.
Hæc quoque transferant. Succedunt tertia vota,
Nobilis ad *Salam* quæ *Neoburga* facit.
Num me, inquit, fugiet præclari fama *BOHEMI*?
Non ita; quippe implet Solis utramq; domum.
Is mihi, quàm primùm *BERTRAMUS* sceptrâ Lycæi
Liquerit hinc abiens, is mihi Rector erit.
Sed sua nec *Northusa* videt, quæ vota vovebat,
Nec vota *Islebie*, nec *Neoburga* sua.
Northusam peteret, jamjam meditatus abire,
Sed *Mecœnatum* quid facit alma *Charis*?
Cur, ait, *Hallensem* linques, tua gaudia, Pubem,
Qui non inviti te reverenter amant?
Cur tot Patronos, benè qui voluere volentq;?
Qui, quicquid tandem feceris, omne probant.
Subsistes *Halla*, nec te mansisse, pigebit.
Abs te *Gymnasii* lausq; decusq; tui est.
Substiteris? majora feres. *Silvanus* amabit
Te, dabit atq; focis ligna, *BOHEME*, tuis.
Respiciet *Plutus*, flavo ditissimus auro,
Messeq; donabit te meliore *Ceres*.

Sub-

Substitit, & missis *Nortbuse* moenibus, *Hallam*,
 Invisam haud Clarissim comperit esse suis.
 Ite per exemplum, Doctosque ornate Magistros,
 Vos, quibus est curæ publica, priva salus.
 Multa docent multi. Sed quis meliora docentem
 Donet pro meritis, quâ ratione, suis?
 Tu quoque vidisses nostrum, *Neoburga*, BOHEMUM,
 Nî prævertisset te mea *Dresda* prior.
 Namq; moras dum lenta facis, mortalia linquit
 HAUSMANN, *Dresdæ* gloria prima Scholæ.
 Scribitur actutum calamis communibus *Hallam*:
 Ocyus huc ad nos, quæso, BOHEME, veni.
 Janua lata patet. Si vis, succede! Vocamus.
 Te *Dresda* expectat quantulacunque, Veni!
 Non desiderium, non spes erat illa BOHEMO,
 Spem tamen hanc Patrum præveniebat amor.
 Quid faciat rebus tam succedentibus aptè?
 Miratus DOMINI cuncta creantis opus.
 E triviis non est via, quam vis ire, Deus, me.
 Quisnam, ait, haud laudet, quas facis ipse vias?
 Quò me vis, non ire nego. Comitabis euntem,
 Optatamque feres sollicitatus opem.
 Sic fatus, gratò jubet *Hallas* ore valere,
 Et faustò accedit Te, *Neo-Dresda*, pede.
 Non illum insidiæ, non vexant arma Latronum,
 Queis erat infessum digredientis iter.
 Excubitore Deo, sunt omnia salva BOHEMO,
 Atque ovis est Satanas Excubitore Deo.
 Prosequitur precibus discessum pluribus *Halla*,
Dresdaq; præsentem donat amica novis.
Officium ad Reçtoratûs, BOHEME, vocaris
Dresdense, atq; lubens suscipis istud onus.

Grâs

Gratulor hanc Spartam, quâ Te non dignior ullus,
Cui nec par poterit dexteritate dari.
Te prodesse diu faxit Deus, opto, Lycéo:
Sic voti nostri summa caputq; sonat!
Æger id HOÆUS, quod Dresda & comprobat omnis,
Reçtorique novo prospera vota facit.
Dumque istis fervet studiis communibus, ecce!
Rursus adest, cui sit Tiphys & Alpha Scholæ.
Artibus imbuerat primis Freiberga BOHEMUM,
Doctorem hunc eadem poscit & illa sibi.
Nec res de nihilò. Meritorum oblivio nulla,
Nulla sit à studiis, Discipulisq; piis.
Quiq; omni nos arte juvant, cur dextra negatur?
Cur non his meritam spontè feremus opem?
Immò tulisset opem, si res foret integra. Dresda
Dicta fides. Prior est tempore, jure prior.
Quæso, vide, quicumque legis, quæ scribo, labores
Ad Scholicos natus nonne BOHEMUS erat?
Enthea Tempia patent, sed dantur nulla; Lycéi
Pulpita vocali sunt animanda fide.
Quid quod & hunc poscit Academia Julia Civem,
Immò Professore Philologumque sacrum,
Qui doceat Linguam, quâ nil est sanctius, & quam
Ore loquutus erat primitus ipse Deus.
Sed defunt reditûs, quibus ille Professor alendus;
Illi quod debet, miles iniquus habet.
Quid doceas igitur, si sint plena omnia bello,
Doctõrisque capit nulla didactra labor?
Dresda, BOHEME, Tibi, Tibi sese Dresda, BOHEME,
Destinat, & vultu gaudet ovatque tuò.

Id simul ac vidit tellus Thuringia, gratans
Hocce tibi blandum scribit & ipsa melos:
HELMUS Te voluit: voluit Neopyrga: Friberga
Te voluit: solum Te sibi Dresda capit.
Esse qui d hoc dicam? nempe hoc: Divina voluntas
Quae voluit, fecit: Fecit at ista benè.
Faustiter accipias Dresdensis sceptrum Lycèi:
Te florente, SCHOLÆ, Curia, Tempia virent.
Hactenus officii est quò functus munere Rector,
Ipsam quamque Urbem expetière sibi.
Conjugium sequitur, quò nil fuit arctius, & quod
Cultum illibatâ nec pereunte fide.
Conjux *Elisabe*, PRÆTORIS filia, curæ,
Cui per *Freibergæ* musica templa fuit.
Elisabe meritò; Nec enim sine Numine vixit,
Quippe Dei templum nobile, blanda quies.
Quodque Deo sacrâ jurârat fluminis undâ,
Istius nunquam non memor illa fuit.
Eusebii addicta sacris, studiosa mariti;
Et paupertatis, non sine laude, colens.
Ergò nec infelix potuit Torus esse gravisque,
Fructibus aut lecti, pignoribusque carens.
Facta parens peperit felix sex ordine Natos,
Atque à foemineâ germina gente duo.
Pars melior Juvenum præcescit fata parentum
Jamque colit pridem regna beata poli.
Unus vix superest. Sed quò Te climate quæram,
Hesperii dicam, Memnoniisvè plagis?
Vivito, si superes, Felix, quòcunque sub orbe,
Nec patriæ mores, nec negitato fidem.

Vos quoque queis dudum thalami sunt foedera, Natae,
 Vivite, Nestoreos & superate dies.
 Cumque piò *Bertramò* ANNA ELISABETHA Maritò,
 Qui CHRISTO verbi nectare pascit oves.
 Cumque tuò Werdermanno CATHARINA ROSINA,
 Cui cura (a) *Afranis* est data & illa jugis.
 Sed data cura *fuit*. Data jam Tibi cura VOGELI,
 Cui *Secreta* dedit munia SAXO Pater.
 Vivite, felicesque Tori protrudite fructus,
 Delicias Matris, deliciasque Patris.
 Dulcius ecquid enim, quàm flores edere dignos,
 Æternus cœlò quos Paradisus alat?
 Hæc de Conjugiò. Vitæ quid reliqua dicam?
 Quid dotes animi divitiasque probi?
 Hic pietas sedes devota fidesque tenebat,
 Et spes, & Fratrum non-simulatus amor.
 Pax etiam, candorque animi; & Patientia mitis,
 Et quicquid laudem sedulitatis habet.
 Pacificis promissa Salus si Judice Christo,
 Alma BOHEMIADÆ non nequit esse salus.
 Prodiit ò quoties Orci obtrectatio regnis,
 Ut dente immiti roderet ossa Viri?
 „ Illum iste IMPRUDENS quoties incessit amaris
 Dictis. Discipuli, nôstis iniqua Viri;
 Ipse quid? infractò excipiens hos pectore morsus,
 Non tu me fixâ sede movebis, ait.
 Recta sequor. Quid recta sequenti sæva nocebis?
 Est Schola, quâ fungor, foeta feraxque crucis.

(a) *Olim scilicet, ad D. Afra in Electorali Gymnasio
 Misnensi.*

Non sine luce tamen, quâ nos donabit Olympus,
Quùm vindex nobis venerit ipse mali.
Sic igitur coeptis insistens usque decoris,
Jussisque officii functus ubique sui,
Non vulgi tantùm sibi conciliavit amorem,
Qui tamen haud constans sæpius esse solet.
Principibus sed & ille Viris fuit & magnis Diis
Visus, quem colerent, quem gererentque sinu.
Isaidæ ducenda foret quùm regia Virgo,
Num vile est, Natam ducere Regis? ait.
Filia non ducta est aut regia Virgo BOHEMO,
Regibus egregiis inter at ille fuit.
Ecquid enim majus Duce Saxone, Saxone magnò?
Regia cui stirps est, regia cuique manus.
Principibus placuisse Viris laus summa. Fovebat
Hunc Princeps, sanctis à studiis & erat.
SAXO Augustus erat, Mæcenas SAXO BOHEMO:
Clementerque favens munera magna dabat.
Ergò nec indictum voluit, Cineresque vocabunt
Saxona: laudabunt Saxona busta suum.
Optabuntque piè: Vivat JAN - GORGIUS ille,
Seque omni maclum prosperitate notet!
Sit Conjux fospes: Proles, imitare Parentes,
Nec patre sis, Fili, Natave Matre minor.
Nec simulanda hic est tam Gratia magna duorum
Nonne Patronorum? Jova, refunde, precor!
Centum donabat (a) Gersdorffius ille Bohemo,
Centum Florenos (b) Northusiusq; favens.

Audi,

(a) Nicolaus à Gersdorff / 1667.

(b) Caspar à Nordhausen 1631. d. 6. Martij.

Audi, Posteritas, æternà laude Patron os
Tantos concelebra. Jova, refunde precor!
Post vitam hanc alti superate palatia cœli.
Seriùs aut citiùs? Vix licet ore loqui.
Quid verò referam, decantabovè labores,
Quos subiit studiis nocte dieque piis?
Sæpe dies dixit: quid me, quæso, usq; BOHEME,
Anticipas, curis invigilasque Tuis?
Nox quoq;, per terras quæ reddo cuncta quieti,
Cur, ait, haud unquam Te tenet ulla quies?
Hæc peperit doctos Tibi cura, BOHEME, libellos,
Non sine quos fructu culta juvena legit.
Grammatica imprimis Canonas, quos scribis, Ebraea,
Queis nihil est clarum perspicuumq; magis.
Quiq; ultrò invitant, capiuntq; tenentq; legentem,
Suntq; Duces ipsi, non sine laude, sibi.
Nec debes nihilum, Lyricen Venusine, BOHEMO:
Te namq; haud tantùm nunc tua Roma legit.
Te quoq; percipimus, curâ felice BOHEMI,
Teutones, insolitâ succinimusq; Lyrâ.
Divulgata docent programmata publica Spuden,
Affiduas curas publica scripta docent.
Quâ deceat fallax dissolvere cote Sophisma,
Egregiè monstrat, docta Juventa, tibi.
Disposuit varios Autores. Cerne Maronem:
Laudabis studium, cerne Melesigenem.
Cætera quæ docuit, bene nôrunt, atque Mathetæ
Collaudant gratò pectore & ore pii.
Nil dicam ulterius. Jesu adspirante, Docentis
Nunquam non felix cura laborq; fuit.

Discipulos multos potis est ostendere Dresda,
Ipsi qui pridem publica Tempia docent.
Doctores multos, Rectores, atque Magistros
Eduxit, claros (scit bona fama) viros.
Quem quoque divinum demirandumq; favorem
Ipse celebravit pectore, voce, manu.
Mi Deus, exclamans, quô me dignaris amore?
Quâm non est Bonitas sat numeranda tua!
Tu mihi das Spartam : Spartam præsentius ornas,
Quî potero laudes enûmerare tuas?
Hic ego quod nequeo, coelis cantabo receptus.
Æternùm vigeat nomen honosq; tuus.
Scribite, Discipuli, gratantia scribite metra,
Queis olim Doctor ille beatus erat.
Nec finite in cineres omnem transire Magistrum :
Spargite per bustum, spargite quisque rofas.
Atque rosis si quid poterit fragrantius esse,
Liliaq; & violas, purpureumq; crocum.
Dicite : Pax esto, Pax ossibus esto BOHEMI,
Quæ tandem redeant nobiliora rosis.
Immò BOHEMUS erit, dum D R E S D A erit atque Lycæ-
um,
Quumq; nec hoc, nec erit D R E S D A, BOHEMUS
erit.



Dick-

LIBRARIUS
IOHANNI
LEHMO
LAUREATO
1754

SLUB DRESDEN



3 2704675

Biogr. ent. 2. 439 ✓

